

MISSÆ PROPRIÆ ARCHIDIOECESIS COLONIENSIS

Die 5 decembris

S. ANNONIS
ARCHIEP. COLONIENSIS
CONFESSORIS

III classis

Missæ Statuit, ut in Appendice
hulus Proprii pag. 84*, cum
orationibus ut infra:

Oratio

Largire, quæsumus, omnipotens Deus, fragilitati nostræ subiectum; et suffragiis beati Annonis Confessoris tui atque Pontificis subditum tibi gubernare populum; ut, qui Ecclesiæ tuæ exaltit prædicator et rector, idem apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus.

Et sit commemoratio feriæ.

Deinde commemoratio S.
Sabbæ Abbatis:

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beati Sabbæ Abbatis commendet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, pro commemoratione sancti Annonis Confessoris tui atque Pontificis offerimus, suppliciter deprecantes: ut, sicut illi præbuiisti sacræ fidei claritatem, sic nobis indulgentiam largiáris et pacem. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Et sit commemoratio feriæ.

Pro S. Sabba Secreta
Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Sabbas, quæsumus, in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut hæc sancta, quæ súmpsimus, beáto Annóne Confessóre tuo atque Pontífice intercedénte, nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. R. Amen.

Et fit commemoratio feriæ.

Pro S. Sabba

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Sabbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis eius experiámur insignia, et intercessiόνis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus.

Die 8 decembris

**IN CONCEPTIONE
IMMACULATA B. M. V.**

Patronæ principalis
archidiócesis Coloniensis

I classis

Omnia ut in Missali.

Die 23 decembris

In ecclesia Metropolitana:

**S. GREGORII SPOLETANI
PRESB. ET MART.**

Commemoratio

Antiphona ad Introitum

Ps. 63, 11

LÆTABITUR iustus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratióne meam, cum deprecor: a timóre inimici éripe ánimam meam.

W. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui in Sanctis tuis semper mirábilis prædicáris: concéde, quæsumus; ut, qui beáti Gregórii Mártiris tui mérita venerámur, ipsius auxilio perpétuis gáudiis perfruámur. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ
beáti Pauli Apóstoli
ad Timótheum

2 Tim. 2, 8-10; 3, 10-12

Carissime: Memor esto, Dóminum Iesum Christum resurrexisse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangelium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male

operans: sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cælesti. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passionem: quælia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii et Lystris: quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.

Graduale Ps. 36, 24

Iustus cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. V. Ibid., 26
Tota die miseretur, et commodat: et semen eius in benedictione erit.

Allelûia, allelûia. V. Ioann. 8, 12 Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ æternæ. Allelûia.

+ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum

Matth. 16, 24-27

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semet-

ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucratur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera eius.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 20, 4-5

Posuisti, Domine, in capite eius coronam de lapide pretioso: vitam petiit a te, et tribuisti ei, allelûia.

Secreta

Hodiernum, Domine, sacrificium lætantes offerimus: quo beati Gregorii Martyris tui cælestem victoriam recensentes, et tua magnalia prædicamus, et nos eius acquisisse gaudemus gloriôsa suffragia. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Antiphona ad Communionem

Ioann. 12, 26

Qui mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Postcommunio

Quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui cælestia aliménta percépimus, intercedente beáto Gregório Mártire tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 1 martii

**S. SUITBERTI
EPISCOPI ET CONF.**

III classis

Missa Státuit, de Comuni Conf. Pontificis 1 loco.

Oratio

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beáti Suitbérti Confessoris tui atque Pontificis veneránda sollémnitas, et devotióem nobis áugeat et salutem. Per Dóminum.

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio **C**

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis muneribus grátias exhibéntes, intercedente beáto Suitbértio Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 15 martii

**S. CLEMENTIS
MARLÆ HOFBAUER
CONFESSORIS**

Commemoratio

Missa Iustus ut palma, de Comuni Conf. non Pont. 2 loco, præter orationes sequentes:

Oratio

P

Deus, qui beátum Cleméntem Mariam miro fidei robore et invictæ constántiæ virtute decorásti: eius méritis et exémplicis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritate fervéntes; ut præmia consequámur æténa. Per Dóminum.

Secreta

P

Ille nos, quæsumus, Dómine, devotióis ignis accéndat: quo beátus Clemens Maria, dum salutárem offérret hóstiám, iúgiter flagrávit. Per Dóminum.

Postcommunio P

Cælésti pane reféctis concéde nobis, omnipotens Deus: ut beáti Cleméntis exémplo, in fortitúdine cibi illius usque ad montem, qui Christus est, feliciter perveniámus: Qui tecum vivit.

Die 16 martii

S. HERIBERTI

ARCHIEPISCOPI COLON.
CONFESSORIS

III classis

Missa Státuit, ut in Appendice huius Proprii pag. 34*, cum orationibus ut infra:

Oratio

Largire, quæsumus, omnipotens Deus, fragilitáti nostræ subsidium: et suffrágiis beáti Heribérti Confessóris tui atque Pontíficis súbditum tibi gubérna pópulum; ut, qui Ecclésiæ tuæ éxstitit prædicátor et rector, idem apud te sit pro nobis perpétuus intercëssor. Per Dóminum nostrum.

Secreta

Beátus Póntifex Heribértus, quæsumus, Dómine, hæc tibi múnera reddat accépta, éaque nobis ad salútem provenire depóscat. Per Dóminum.

Postcommunio

Vivíficis refécti mystériis, quæsumus, Dómine: ut, beáto Heribérto Confessóre tuo atque Pontífice exoránte; perpétuæ salvatiónis virtútem in nobis perficiant. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 19 martii

S. IOSEPH

SPONSI B. M. V., CONF.

Patroni secundarii
archidiócesis Coloniensis

I classis

Omnia ut in Missali.

Feria VI

post dominicam in albis

In civitate Coloniensi:

SACR. LANCEÆ

ET CLAVORUM D. N. I. C.

Commemoratio

Antiphona ad Introitum

Ps. 21, 17-18 et 15

FODERUNT manus meas
et pedes meos: dinumeráverunt ómnia ossa mea:
et sicut aqua effúsus sum, allelúia, allelúia. Ps. ibid., 15 Fac-
tum est cor meum tamquam
cera liquéscens in médio ven-
tris mei.

¶ Glória Patri.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui pro salute mundi passus es de corde tuo aquam et sanguinem per lanceam militis emanare: concede propitius; ut sacratissimi corporis tui perfossio peccatorum nostrorum sit plena remissio: Qui vivis.

Lectio Zachariæ Prophætæ

Zach. 12, 10-11; 13, 6-7

Hæc dicit Dominus: Effundam super domum David, et super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangenteum placentu quasi super unigenitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit plactus in Ierusalem, et dicétur: Quid sunt plagæ istæ in médio mānuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligébant me. Frámea, suscitāre super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergéntur oves: ait Dominus omnipotens.

Allelúia, allelúia. V. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miseratus erróres: Patri obce-

diens, ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúia. V. Tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúia.

+ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Ioánnem

Ioann. 19, 28-35

In illo témpore: Sciens Iesus, quia ómnia consummata sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acétum, dixit: Consummatum est. Et inclináto cápite trádidit spiritum. Iudæi ergo (quóniam Parascève erat), ut non remanérrent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Venérunt ergo milites: et primi quidem fregérunt crura et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut vidérunt eum iam mórtuum, non fregérunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius apéruit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui

vidit, testimónium perhibuit: et verum est testimónium eius.

Antiphona ad Offertorium

Insurrexérunt in me viri iníqui: absque misericórdia quæsiérunt me interficere; et non percérunt in fáciem meam spúere: lánceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea, allelúia.

Secreta

Sanctificet nos, quæsumus, Dómine, hoc sanctum et immaculátum sacrificium vespertinum: quod unigénitus Fílius tuus in Cruce obtulit pro salute mundi: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sácula sæculórum.

R. Amen.

Præfatio de sancta Cruce.

Antiphona ad Communionem

Vidébunt in quem transfixérunt, cum moveréntur fundaménta terræ, allelúia.

Postcommunio

Dómine Iesu Christe, qui te metípsum in Cruce holocáustum immaculátum et spontáneum Deo Patri obtulisti: quæsumus; ut eiúsdem sacrificii oblátio veneránda indulgén-

tiam nobis obtíneat et glóriam sempitérnam: Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

Die 7 aprilis

S. HERMANNI IOSEPHI CONFESSORIS

II classis

Antiphona ad Introitum

Ps. 36, 30-31

OS iusti meditábitur sapiéntiam, et lingua eius loquétur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. (T. p. Allelúia, allelúia.) Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátum Hermánnum Ioséphum Confessórem tuum, in benedictiónibus dulcédinis a puerítia prævenisti: præsta, quæsumus; ut innocéntis et sanctæ vitæ eius vestigiis insistentés, ad cæléstem pátriam, in qua gloriósus exsúltat, secúri perveniámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Et, tempore quadragesimali, fit commemoratio feriae.

Lectio libri Sapiéntiæ

Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probátus est in illo, et perfectus est, erit illi glória æterna: qui pótuit tránsgrredi, et non est tránsgréssus: fácere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Dómino, et eleemósynas illius enarrábit omnis ecclésia sanctorum.

Extra tempus paschale:

Graduale Ps. 91, 13 et 14

Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicábitur in domo Dómini. *V.* Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Tractus Ps. 111, 1-3

Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. *V.* Potens in terra erit semen eius: generatio rectórum benedicétur. *V.* Glória et divitiæ in domo eius: et iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Tempore paschali, omissis graduali et tractu, dicitur:

Allelúia, allelúia. *V.* Iac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatió-nem: quóniam, cum probátus fúerit, accipiet corónam vitæ. Allelúia. *V.* Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúia.

+ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Matthæum

Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Iesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádicta sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me, omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego reficiam vos. Tóllite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Iugum enim meum suáve est et onus meum leve.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 88, 25

Veritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine

meo exaltabitur cornu eius. (T. p. Allelúia.)

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias
 immolámus in tuórum com-
 memoratióne Sanctórum: qui-
 bus nos et præséntibus éxui
 malis confidimus et futúris. Per
 Dóminum nostrum.

Et, tempore quadragesimali,
 fit commemoratio feriæ.

Antiphona ad Communionem
 Matth. 24, 46-47

Beátus servus, quem, cum vé-
 nerit dóminus, invénerit vigi-
 lántem: amen, dico vobis, su-
 per ómnia bona sua constituet
 eum. (T. p. Allelúia.)

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti,
 Deus noster, te súplices
 exorámus: ut, in cuius hæc
 commemoratióne percépimus,
 eius muniámur et précibus.
 Per Dóminum nostrum.

Et, tempore quadragesimali,
 fit commemoratio feriæ.

Die 19 aprilis

S. LEONIS IX

PAPÆ ET CONFESSORIS

Commemoratio

Missa Si diligis me, de Com-
 muni Summorum Pontificum.

Oratio

C 1

Gregem tuum, Pastor ætér-
 ne, placátus inténde: et
 per beátum Leónem Summum
 Pontificem perpétua protecti-
 óne custódi, quem totíus Ecclé-
 siæ præstitisti esse pastórem.
 Per Dóminum nostrum Iesum
 Christum Fílium tuum, qui te-
 cum vivit et regnat.

Secreta

C 1

Oblátis munéribus, quæsu-
 mus, Dómine, Ecclésiám tuam
 benígnus illúmina: ut et gregis
 tui proficiat ubique succéssus,
 et grati fiant nómini tuo, te gu-
 bernánte, pastóres. Per Dómi-
 num nostrum.

Postcommunio

C 1

Refectiόne sancta enutritam
 gubérna, quæsumus, Dómine,
 tuam placátus Ecclésiám: ut,
 poténti moderatiόne dirécta, et
 incrementa libertátis accípiat
 et in religiόnis integritáte per-
 sistat. Per Dóminum.

Die 21 aprilis

S. CONRADI A PARZHAM
 CONFESSORIS

Commemoratio

Missa Os iusti, de Comuni
 Confessoris non Pontificis 1 lo-
 co, præter Orationes sequen-
 tes:

Oratio

Deus, qui misericórdiæ tuæ iánuam fidélibus patére voluisti: te súpplices exorá-mus; ut, intercedénte beáto Conrado Confessóre tuo, tem-porália subsidia nobis tribuas et ætérna. Per Dóminum.

Secreta

Oblatiónes nostras tibi, Dómi-ne, quæsumus, beáti Conrádi intercéssio veneránda com-méndet: quem coram tuis altá-ribus precántem supernórum charismatum dulcédine recreá-sti. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, tua sanc-ta, beáti Conrádi mérita reco-léntes: præsta, quæsumus; ut eius semper et præcláro profi-ciámus exémplo et fidéli mu-niámur auxilio. Per Dóminum nostrum.

Die 23 aprilis

S. GERARDI EP. ET CONF.

III classis

Missa Státuit, de Communi Conf. Pontificis 1 loco.

Oratio

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beáti Gerárdi Confessóris tui atque Pontifi-

cis veneránda sollémnitas, et devotiónem nobis áugeat et sa-lútem. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio S. Georgii Martyris:

Oratio

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártiris tui méritis et inter-cessiône lætíficas: concéde propítius; ut, qui tua per eum beneficia póscimus, dono tuæ grátia consequámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómi-ne, nos ubique lætíficent: ut, dum eórum mérita recóli-mus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Georgio

Secreta

Múnera, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Geórgio Mártire tuo, nos per hæc a peccatórum no-strórum máculis emúnda. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípo-tens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Gerárdo Confessóre tuo atque Pontifi-ce, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Georgio
Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnipotens Deus: ut, quos tuis réficis sacraméntis, intercedén-te beáto Geórgio Mártire tuo, tibi étiam plácitis móribus dignánte tribuas deservíre. Per Dóminum nostrum.

Die 27 aprilis
S. PETRI CANISII
CONFESSORIS
ET ECCLESIAE DOCT.

II classis

Antiphona ad Introitum
Eccli. 15, 5

IN médio Ecclésiæ apéruit os eius: et implévit eum Dóminus spiritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ induit eum, allelúia, allelúia. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum virtúte et doctrina roborásti: concéde propítius; ut eius exémplic et mónitis errántes ad salútem resipiscant, et fidéles in veritátis confessióne perseverént. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epistolæ
beáti Pauli Apóstoli
ad Timótheum
2 Tim. 4, 1-8

Carissime: Testificor coram Deo, et Iesu Christo, qui iudicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsius et regnum eius: prædica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbseca, increpa in omni patiéntia, et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem auditum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vigila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim iam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna iustítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt advéntum eius. Tempore paschali:
Allelúia, allelúia. V. Ps. 118, 46 Loquébar de testimoniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar. Allelúia. V.

1 Cor. 9, 22 Omnia ómnibus factus sum, ut omnes fácerem salvos. Allelúia.

In Missis votivis extra tempus paschale dicitur

Graduale Ps. 118, 129-130
Mirabilia testimónia tua, Dómine, ideo scrutáta est ea ánima mea. V. Declarátio sermonum tuórum illúminat et intelléctum dat párvulis.

Allelúia, allelúia. V. Ps. 108, 30 Confitébor Dómino nimis in ore meo: et in médio multórum laudábo eum. Allelúia.

Post Septuagesimam, omis-
sis Allelúia et versu sequenti,
dicitur

Tractus

Ps. 118, 104, 105 et 158

A mandátis tuis intelléxi,
proptérea odívi omnem viam
iniquitátis. V. Lucérna pédi-
bus meis verbum tuum, et lu-
men sémitis meis. V. Vidi
prævaricántes et tabescé-
bam, quia elóquia tua non cu-
stodiérunt.

+ Sequéntia sancti Evangélíi
secúndum Matthæum

Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Iesus
discipulis suis: Vos estis sal
terræ. Quod si sal evanúerit, in

quo saliétur? Ad nihilum valet
ultra, nisi ut mittátur foras, et
conculcétur ab homínibus.
Vos estis lux mundi. Non pot-
est civitas abscóndi supra mon-
tem pósita. Neque accéndunt
lucérnam, et ponunt eam sub
módio, sed super candelá-
brum, ut lúceat ómnibus qui in
domo sunt. Sic lúceat lux ve-
stra coram homínibus, ut vi-
deant ópera vestra bona, et
glorificent Patrem vestrum,
qui in cælis est. Nolite putáre,
quóniam veni sólvere legem
aut prophétas: non veni sólve-
re, sed adimplére. Amen, quip-
pe dico vobis, donec tránseat
cælum et terra, iota unum aut
unus apex non præteribit a le-
ge, donec ómnia fiant. Qui ergo
sólverit unum de mandátis istis
minimis, et docúerit sic hómi-
nes, minimus vocábitur in reg-
no cælórum: qui autem fécerit
et docúerit, hic magnus vocá-
bitur in regno cælórum.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 33, 12

Veníte, filii, audíte me: timó-
rem Dómini docébo vos. (T. p.
Allelúia.)

Secreta

Sanctifica, miséricors Deus,
S hæc múnera tibi obláta, et
Ecclésiæ tuæ, beáto Petro in-

tercedente, unitatis et pacis propitius dona concede. Per Dominum nostrum.

Antiphona ad Communionem
Is. 12, 3

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. (T. p. Alleluia.)

Postcommunio

Sacrificium, Domine, quod in honorem beati Petri Confessoris tui atque Doctoris obtulimus: fidem nostram, spem et caritatem augeat, et Ecclesiam tuam nova semper prole laetificet. Per Dominum.

Die 30 aprilis

S. QUIRINI MARTYRIS

Commemoratio

Missa Protexisti, de Communi Martyrum 1 loco, cum orationibus ut infra.

Oratio

P

Deus, qui beatum Quirinum Martyrem tuum virtute constantiae in passione roborasti: concede nobis famulis tuis; ut eius meritis et precibus, omnium hostium superatis insidiis, ad societatem supernorum civium perveniamus. Per Dominum nostrum.

Secreta

P

Suscipe, misericors Deus, oblationes, quas in beati Quirini Martyris tui sollemnitate deferimus: et per eius gloriosa suffragia fac nos huius mundi blandimenta vitare, et ad gaudia aeterna perducere. Per Dominum nostrum.

Postcommunio

P

Beati Martyris tui Quirini, quaesumus, Domine, intercessio ubique nos adiuvet: et per haec sancta, quae sumpsimus; a peccatorum vinculis absolutos ad tua capienda promissa nos praeparet. Per Dominum.

Pro votivis extra tempus paschale dicitur Missa Laetabitur, de Communi unius Martyris 4 loco, cum orationibus ut supra.

Die 5 iunii

S. BONIFATII

EPISCOPI ET MARTYRIS

II classis

Omnia ut in Missali.

Die 29 iunii

S. PETRI APOSTOLI

Titularis ecclesiae

Metropolitanae

I classis

Missa Ss. Apostolorum Petri et Pauli, ut in Missali.

Die 9 iulii

S. AGILOLFI
EP. COLON., MART.

Commemoratio

Missa Sacerdotes Dei, de Comuni unius Martyris 2 loco.

Oratio C

Deus, qui nos beati Agilolfi Martyris tui atque Pontificis annua sollemnitate lætificas: concède propitius; ut, cuius natalitia cõlimus, de eiusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dõminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti.

Secreta C

Múnera tibi, Dõmine, dicata sanctifica: et, intercedente beato Agilolfo Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intènde. Per Dõminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit.

Postcommunio C

Hæc nos commúnio, Dõmine, purget a crimine: et, intercedente beato Agilolfo Martyre tuo atque Pontifice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dõminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 12 iulii

In ecclesia Metropolitana:
SS. NABORIS ET FELICIS
MARTYRUM

II classis

Missa Salus autem, de Comuni plurimorum Martyrum 3 loco, cum orationibus propriis in Missali eadem die assignatis.

Et fit commemoratio S. Ioannis Gualberti Abbatis ibidem.

Die 24 iulii

IN TRANSLATIONE
SS. TRIUM REGUM

II classis

Antiphona ad Introitum

Malach. 3, 1; 1 Par. 29, 12

ECCE advénit dominátor Dõminus: et regnum in manu eius, et potestas, et impérium. Ps. 71, 1 Deus, iudicium tuum Regi da: et iustitiam tuam Filio Regis.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, illuminátor ómnium gentium: da pópulis tuis, perpétua pace gaudere; et illud lumen spléndidum infúnde córdibus nostris, quod trium Magórum méntibus aspirásti. Per Dõminum nostrum.

Et fit com. S. Christinæ Virg.
et Mart.:

Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Christina Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus.

Léctio Isaíæ Prophétæ

Is. 60, 1-6

Surge, illumináre, Ierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, et caligo pópulos: super te autem oriétur Dóminus, et glória eius in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi: filii tui de longe vénient, et filiae tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, et áfflues, mirábitur, et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénierit tibi. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian

et Ephá: omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes.

Graduale

Ibid., 6 et 1

Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. *℣.* Surge et illumináre, Ierúsalem: quia glória Dómini super te orta est.

Allelúia, allelúia. *℣.* Matth. 2, 2 Vidimus stellam eius in Orién-te, et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum. Allelúia.

+ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Matthæum

Matth. 2, 1-12

Cum natus esset Iesus in Bétlehem Iuda in diébus Heródis regis, ecce Magi ab Orién-te venérunt Ierosólymam, dicéntes: Ubi est, qui natus est rex Iudæórum? Vidimus enim stellam eius in Orién-te, et vénimus adoráre eum. Audiens autem Heródes rex, turbátus est, et omnis Ierosólyma cum illo. Et cóngregans omnes príncipes sacerdotum et scribas pópuli, sciscitabátur ab eis, ubi Christus nascerétur. At illi dixérunt ei: In Bétlehem Iudæ: sic enim scriptum

est per Prophétam: Et tu, Béthlehem terra Iuda, nequáquam mínima es in principibus Iuda: ex te enim éxiet dux, qui regat pópulum meum Israel. Tunc Heródes, clam vocátis Magis, diligénter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: et mittens illos in Béthlehem, dixit: Ite, et interrogáte diligénter de púero: et cum invenéritis, renuntiáte mihi, ut et ego véniens adórem eum. Qui cum audissent regem, abiérunt. Et ecce, stella, quam viderant in Oriénte, antecedébat eos, usque dum véniens, staret supra, ubi erat puer. Vidéntes autem stellam, gavisí sunt gáudio magno valde. Et intrátes domum, invenérunt Púerum cum Maria Matre eius, (hic genuflectitur) et procidéntes adoravérunt eum. Et, apértis thesáuris suis, obtulérunt ei múnera, aurum, thus et myrrham. Et respónso accépto in somnis, ne redírent ad Heródem, per áliam viam reversi sunt in regiónem suam.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 71, 10-11

Reges Tharsis, et insulæ múnera ófferent: reges Arabum et Saba dona addúcent: et adorábunt eum omnes reges terræ, omnes gentes sérvient ei.

Secreta

Súscipe, clementíssime Deus, has oblatiónes, quas in beatorum Magórum tuórum commemoratióne tibi Dómino Deo vivo et vero offérimus: et per illórum gloriósa suffrágia fac nos huius mundi blandiménta vitáre, et ad gáudia ætérna pervenire. Per Dóminum.

Pro S. Christina

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Christinæ Virginis et Mátyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dóminum.

Præfatio communis.

Antiphona ad Communionem
Matth. 2, 2

Vidimus stellam eius in Oriénte, et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.

Postcommunio

Sanctorum Magórum tuórum, quæsumus, Dómine, intercessio gloriósa nos ubique protégat et ádiuvet: et per hæc sancta, quæ sumpsimus; a peccatórum vinctulis absolútos, ad tua capiéndam promissa nos præparet. Per Dóminum.

Pro S. Christina

Postcommunio

Divini muneris largitate satiati, quæsumus, Domine, Deus noster: ut, intercedente beata Christina Virgine et Martyre tua, in eius semper participatione vivamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 15 augusti

**IN ASSUMPTIONE
B. MARLÆ VIRGINIS**

Titularis ecclesiæ
Metropolitanæ

I classis

Omnia ut in Missali.

Dominica III augusti

Pro sollemnitate externa

ASSUMPTIONIS B. M. V.

Missa **Signum magnum**, ut in festo die 15 augusti.

Die 13 septembris

**S. MATERNI
PROTOEPISCOPI COLON.
CONFESSORIS**

III classis

Missa **Státuit**, ut in Appendice huius Proprii pag. 34*, cum orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui diversarum nationum populis præclaros veræ fidei constituisti doctores: præsta, quæsumus; ut omnes, qui ad beati Matèrni Confessoris tui atque Pontificis festa conveniunt, præsentis prosperitatem vitæ et futuram æternæ beatitudinis glóriam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum.

Secreta

Sancti Matèrni Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Domine, annua sollémnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut per hæc piæ placationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animarum: præsta; ut hæc sancta, quæ sumpsimus, beato Matèrno Confessore tuo atque Pontifice intercedente, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 17 septembris
S. HILDEGARDIS
VIRGINIS

III classis

Antiphona ad Introitum
Ps. 72, 28

M IHI autem adhærere Deo bonum est, pōnere in Dōmino spem meam: ut annūntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion. Ps. ibid. 1 Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátam Hildegardem Virginem tuam donis cælestibus decorásti: tribue, quæsumus; ut, eius vestigiis et documētis insistentēs, a præsentis sæculi caligine ad lucem tuam delectabilem transire mereámur. Per Dōminum.

Et fit commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui, frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Francisci passionis tuæ sacra Stigmata renovásti: concède propitius; ut eius méritis et précibus crucem iúgi-

ter ferámus, et dignos fructus pœnitentiæ faciámus: Qui vivis et regnas.

Léctio Epistolæ
beáti Pauli Apóstoli
ad Corinthios

1 Cor. 1, 26-29

Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secūndum carnem, non multi potētes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confūdat sapientes: et infirma mundi elégit Deus, ut confūdat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu eius.

Graduale Cantic. 3, 4 et 6, 2
Invēni quem diligit ánima mea: ténui eum, nec dimittam. V.
Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúia, allelúia. V. Isai. 61, 10
Exsultábit ánima mea in Deo meo, quia induit me vestimētis salútis, quasi sponsam ornátam monilibus suis. Allelúia.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur

Tractus

Sap. 4, 1-3

O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. V. Cum præsens est, imitantur illam, et desiderant eam, cum se eduxerit. V. Et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum prae-mia vincens.

Tempore autem paschali omittitur graduale, et eius loco dicitur:

Allelúia, allelúia. V. Ps. 30, 22 Benedictus Dominus: quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita. Allelúia. V. Prov. 4, 9 Lætare, mater nostra, quia dabit Dominus capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te. Allelúia.

+ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum

Matth. 25, 1-13

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ, accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant

fátuæ, et quinque prudentes: sed quinque fátuæ, acceptis lampadibus, non sumpsérunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. Fátuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Respondérunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est iánua. Novissime vero véniunt et reliquæ virgines, dicentes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respondens, ait: Amen, dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 41, 2 et 3

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita de-

síderat ánima mea ad te, Deus.
Sítívit ánima mea ad Deum for-
tem vivum.

Secreta

Sanctæ Hildegárdis Virgini-
sue festa recoléntes, preces
offérimus et hóstias immolá-
mus: præsta, quæsumus, Dó-
mine; ut, cum præsidio tempo-
ráli, vitæ nobis præbeant incre-
ménta perpétuæ. Per Dómi-
num nostrum.

Pro Impressione

Ss. Stigmatum S. Francisci

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta
sanctifica: et, intercedénte
beáto Francisco, ab omni nos
culpárum labe purifica. Per
Dóminum nostrum.

Antiphona ad Communionem

Philipp. 1, 20 et 21

Magnificábitur Christus in cór-
pore meo, sive per vitam, sive
per mortem: mihi enim vivere
Christus est, et mori lucrum.

Postcommunio

Perpétuo, Dómine, favóre
proséquere, quos réficis di-
vino mystério: et quos imbuísti
cæléstibus institútis: eósdem,
intercedénte beáta Hildegárde
Virgine tua, salutáribus comi-
táre solátiis. Per Dóminum.

Pro Impressione

Ss. Stigmatum S. Francisci

Postcommunio

Deus, qui mira Crucis mysté-
ria in beáto Francisco Confes-
sore tuo multifórmiter demon-
strásti: da nobis, quæsumus;
devotiónis suæ semper ex-
émpla sectári, et assidua eiús-
dem Crucis meditatióne mu-
niri. Per Dóminum.

Die 28 septembris

IN DEDICATIONE ECCL.
METROPOLITANÆ

I classis

Missa Terribilis, de Communi.

Die 3 octobris

SS. EWALDORUM
MARTYRUM

Commemoratio

Antiphona ad Introitum

Ps. 33, 20-21

MULTÆ tribulatiónes
iustórum, et de his
ómnibus liberávit eos
Dóminus: Dóminus custódit
ómnia ossa eórum: unum ex
his non conterétur. Ps. ibid., 1
Benedicam Dóminum in omni
tépore: semper laus eius in
ore meo.
V. Glória Patri.

Oratio

Sanctorum Martyrum tuorum
Ewaldorum nos, Domine,
foveat pretiosa confessio: et
pia iugiter intercessio tueatur.
Per Dominum nostrum Iesum
Christum Filium tuum, qui te-
cum vivit et regnat in unitate
Spiritus Sancti, Deus, per om-
nia secula seculorum.

Lectio libri Sapientiae

Eccli. 44, 10-15

Hi viri misericordiae sunt,
quorum pietates non de-
fuerunt: cum semine eorum
permanent bona, hereditas
sancta nepotes eorum, et in te-
stamenti stetit semen eorum:
et filii eorum propter illos us-
que in aeternum manent: semen
eorum et gloria eorum non de-
relinquetur. Corpora ipsorum
in pace sepulta sunt, et nomen
eorum vivit in generationem et
generationem. Sapientiam ip-
sorum narrent populi, et lau-
dem eorum nuntiet ecclesia.

Graduale Ps. 33, 10 et 11

Time Domine omnes sanc-
ti eius, quoniam nihil deest ti-
mentibus eum. V. Inquirentes
autem Dominum, non deficient
omni bono.

Alleluia, alleluia. V. Ps. 31, 11

Lætamini in Domino et exul-
tate iusti: et gloriāmini omnes
recti corde. Alleluia.

+ Sequentia sancti Evangelii
secundum Matthaeum

Matth. 10, 16-22

In illo tempore: Dixit Iesus
discipulis suis: Ecce ego mit-
to vos sicut oves in medio lupor-
um. Estote ergo prudentes
sicut serpentes, et simplices
sicut columbae. Cavete autem
ab hominibus. Tradent enim
vos in conciliis, et in synagogis
suis flagellabunt vos: et ad
praesides et ad reges ducemini
propter me, in testimonium
illis et gentibus. Cum autem
tradent vos, nolite cogitare,
quomodo, aut quid loquamini:
dabitur enim vobis in illa hora,
quid loquamini. Non enim vos
estis, qui loquimini, sed Spiri-
tus Patris vestri, qui loquitur
in vobis. Tradet autem frater
fratrem in mortem, et pater fili-
um: et insurgent filii in paren-
tes, et morte eos afficient: et
eritis odio omnibus propter no-
men meum: qui autem perse-
veraverit usque in finem, hic
salvus erit.

In Missis votivis post Septua-
gesimam, in fine sequentis an-
tiphonae, Alleluia omittitur.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 67, 36

Mirabilis Deus in Sanctis suis:
Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. Alleluia.

Secreta

Benedictio tua, Dómine, larga descendat: quæ et mûnera nostra, deprecántibus sanctis Martýribus tuis, tibi reddat accépta, et nobis sacraméntum redemptionis efficiat. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus.

Antiphona ad Communionem

Ioann. 15, 16

Ego vos elégi de mundo: et pòsui vos, ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester maneat.

Postcommunio

Cæléstibus refécti sacraméntis et gáudiis: supplices te, Dómine, deprecámur; ut, quorum gloriámur triúmphis, protegámur auxiliis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus.

Die 10 octobris

SS. GEREONIS, VICTORIS
CASSII, FLORENTII ET
SOC. MARTYRUM

III classis

Antiphona ad Introitum

Ps. 33, 20-21

MULTÆ tribulatiónes iustórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. Ps. ibid., 1 Benedicam Dóminum in omni témpore: semper laus eius in ore meo. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem venerábilem nobis in sanctórum Mártyrum tuórum Gereónis, Victóris, Cássii, Floréntii atque Sociórum sollemnitáte fecisti: concéde, quæsumus; ut, sicut eos per triúmphum martýrii ad supérna cælórum transtulisti gáudia, ita et nobis præmia largiáris æténa. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio S. Francisci Borgiæ Conf.:

Oratio

Dómine Iesu Christe, veræ humilitátis et exémp lar et præmium: quæsumus; ut, sicut

beátum Franciscum in terréni honóris contéptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos eiúsdem imitationis et glóriæ tribuas esse consórtes: Qui vivis et regnas.

Léctio libri Apocalýpsis
beáti Ioánnis Apóstoli

Apoc. 7, 13-17

In diébus illis: Respóndit unus de senióribus, et dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venérunt de tribulatione magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in ságuine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviant ei die ac nocte in templo eius: et qui sedet in throno, habitábit super illos: non esúrient neque sítient ámplius, nec cadet super illos sol neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum: et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum.

Graduale Ps. 33, 10 et 11

Timéte Dóminum omnes sancti eius, quóniam nihil deest timéntibus eum. **V** Inquiréntes

autem Dóminum, non deficient omni bono.

Allelúia, allelúia. **V.** Ps. 117, 15 Vox exsultatiónis et salútis in tabernáculis iustórum. Allelúia.

+ Sequéntia sancti Evangélli
secúndum Matthæum

Matth. 5, 1-12

In illo témpore: Videns Iesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedisset, accessérunt ad eum discipuli eius, et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti páuperes spiritu: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti, qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti, qui esúriunt et sítiunt iustítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam filii Dei vocabúntur. Beáti, qui persecutió-nem patiúntur propter iustítiam: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti estis, cum maledixerint vobis, et persecúti vos fúerint, et dixerint omne malum advérsus vos, mentiéntes propter me: gau-

déte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósá est in cælis.

In Missis votivis post Septuagesimam in fine sequentis antiphonæ Allelúia omittitur.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 67, 36

Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtutem et fortitúdinem plebi suæ: benedictus Deus. Allelúia.

Secreta

Hæc múnera, quæsumus, Dómine, tuæ maiestáti obláta sanctifica: ut per intercessiónem sanctórum Mátyrum tuórum Gereónis, Victóris, Cássii, Floréntii atque Sociórum, nos a peccatórum nostrórum máculis expúrgent. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Francisco

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Franciscus, quæsumus, in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

Antiphona ad Communionem
Ioann. 15, 16

Ego vos elégi de mundo: et pòsui vos, ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat.

Postcommunio

Cæléstium donórum libámine satiáti: quæsumus, Dómine; ut sanctórum Mátyrum tuórum Gereónis, Victóris, Cássii, Floréntii atque Sociórum deprecationibus ad redemptionis æternæ proficiámus augmentum. Per Dóminum.

Pro S. Francisco

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Franciscus, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis eius experiámur insignia, et intercessiόνis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

Die 12 octobris

S. BRUNONIS

ARCHIEPISCOPI COLON.
CONFESSORIS

III classis

Missa Státuit, ut in Appendice huius Proprii pag. 34*, cum orationibus ut infra:

Oratio

Deus, tuórum splendor Sanctórum, qui hunc diem beáti Brunónis Confessoris tui atque Pontificis natalitio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ; ut, cuius sollemnitate læ-

tátur, eius méritis protegátur
et précibus. Per Dóminum.

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes; intercedénte beáto Brunóne Confessóre tuo atque Pontifice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum.

Die 21 octobris
SS. URSULÆ
ET SOCIARUM
VIRGINUM ET MM.

III classis

(Coloniæ, in ambitu totius civitatis, cuius Patronæ principales sunt, I classis)

Antiphona ad Introitum

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre sanctárum Virginum: de quarum passióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 32, 1 Exsultáte, iusti, in Dómino: rectos decet collaudátio. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui digne sacrátis tibi Virginibus mirándi agónis robur indidisti, quo per martýrii palmam ad supérnæ contemplatiónis pertingerent glóriam: da, quæsumus; eárum intercessiόνibus nos adiuvári, quas hodiérna die transcénso mortis stádio in cælestibus fecisti triumpháre. Per Dóminum nostrum.

Extra civit. Colon. fit commemoratio S. Hilarionis Abbatís:

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Hilariónis Abbatís comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios

1 Cor. 7, 25-34

Fratres: De virginibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic

esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutióem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatióem tamen carnis habébunt huiúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra huius mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollicitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et mûlier innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt: ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Iesu, Dómino nostro.

Graduale Ps. 33, 10 et 11

Timéte Dóminum omnes sancti eius, quóniam nihil deest timéntibus eum. V. Inquiréntes autem Dóminum, non deficient omni bono.

Allelúia, allelúia. V. Ps. 44, 15 et 16 Adducéntur Regi virgines post eam: próximæ eius afferéntur tibi in lætítia. Allelúia.

+ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Matthæum
Matth. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Iesus discipulis suis parábolam hanc: Simile erit regnum cælórum decem virginibus: quæ, accipientes lámpades suas, exierunt óbviā sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lámpádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lámpádibus. Moram autem faciéntē sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exite óbviā ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixerunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere,

venit sponsus: et quæ paratæ erant, intravérunt cum eo ad nuptias, et clausa est iánua. Novissime vero véniunt et reliquæ virgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

In civit. Colon. Credo.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 44, 15-16

Afferéntur Regi virgines post eam: próximæ eius afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum Regi Dómino.

Secreta

Votiva, Dómine, mystici libáminis dona, pro sanctárum Virginum tuárum veneratióne maiestáti tuæ obláta, nostra expúrgent facinora: et purificátos, tantis mystériis exsequéndis nos reddant accéptos. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Pro S. Hilarione

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hiláron Abbas, quæsumus,

in salútem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

Antiphona ad Communionem

Matth. 25, 4 et 6

Quinque prudentes virgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exíte óbviám Christo Dómino.

Postcommunio

Cæléstis alimóniæ refécti sacraménto: quæsumus, Dómine; ut intercedéntibus sanctis Virgínibus tuis, quæ pro illárum celebrámus glória, ad nostræ salútis proficiant incrementa. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Pro S. Hilarione

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptiόne sacraménti beátus Hiláron Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiόnis eius experiámur insignia, et intercessiόnis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Die 23 octobris
S. SEVERINI
EPISCOPI COLON., CONF.

III classis

Missa Státuit, ut in Appendice huius Proprii pag. 34*, cum orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui venerándam huius diéi sollemnitátem in honóre sancti Severini Confessóris tui atque Pontificis consecrásti: adésto familiæ tuæ précibus et dona; ut, cuius festa célebrat, méritis et auxilio sublevétur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti.

Secreta

Múnera, quæsumus, Dómine, tuæ maiestáti propósita, beáti Severini Confessóris tui atque Pontificis intervéntu, benignus assúme. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio

Sumpta, Dómine, cæléstis remédii sacraménta: ad perpétuam nobis provenire grátiam, beátus Severinus Confessor tuus et Póntifex obtineat. Per Dóminum nostrum.

Die 24 octobris
S. EVERGISLI
EP. COLON., MART.

Commemoratio

Antiphona ad Introitum

Dan. 3, 84 et 87

SACERDOTES Dei, benedicite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum. Ib., 57 Benedicite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sácula.

W. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nos beáti Evergisli Mártiris tui atque Pontificis ánnua sollemnitáte lætificas: concéde propítius; ut, cuius natalítia cólimus, de eiusdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Léctio Epistolæ
beáti Pauli Apóstoli
ad Corinthios

2 Cor. 1, 3-7

Fratres: Benedictus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericórdiarum, et Deus totius consolatiónis, qui consolátur nos in

omni tribulatióne nostra: ut possimus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatióne, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis: ita et per Christum abúndat consolatió nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur tolerántiam earúndem passiónum, quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: sciéntes, quod, sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis: in Christo Iesu, Dómino nostro.

Graduale Ps. 8, 6-7

Glória et honóre coronásti eum. V. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Allelúia, allelúia. V. Hic est Sacerdos, quem coronávit Dóminus. Allelúia.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum
Matth. 10, 26-32

In illo témpore: Dixit Iesus discipulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur;

et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dicite in lúmine: et quod in aure auditis, prædicáte super tecta. Et nolite timére eos, qui occidunt corpus, ánimam autem non possunt occidere; sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásse-res asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli cápitis omnes numeráti sunt. Nolite ergo timére: multis passéribus meliôres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram hominibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

Antiphona ad Offertorium
Ps. 88, 21-22

Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráccium meum confortábit eum.

Secreta

Múnere tibi, Dómine, dicáta sanctifica: et, intercedénte beáto Evergislo Mártire tuo atque Pontifice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum.

Antiphona ad Communionem
Ps. 20, 4

Posuisti, Dómine, in cápite
eius corónam de lápide pre-
tíoso.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómi-
ne, purget a crimine: et,
intercedente beáto Evergislo
Mártyre tuo atque Pontifice,
cæléstis remédii fáciat esse
consórtes. Per Dóminum.

Die 3 novembris

S. HUBERTI
EPISCOPI ET CONF.

Commemoratio

Missa Sacerdótes tui, de Com-
muni Conf. Pont. 2 loco, cum
orationibus ut infra.

Oratio **P**

Deus, qui perénnem glóriam
sancti Hubérti Confessó-
ris tui atque Pontificis ánimæ
contulisti: tribue, quæsumus;
eius nos apud te ita patrocíniis
adiuvári, ut cum eo vitam pos-
sideámus ætérnam. Per Dó-
minum nostrum.

Secreta **P**

Hæc hóstia, quæsumus, Dó-
mine, quam in sancti Hubérti
Confessóris tui atque Pontifi-
cis sollemnitate tibi offérimus:

eius suffragántibus méritis, et
víncula peccatórum nostrórum
absólvat, et ætérnæ beatitúdi-
nis participes efficiat. Per Dó-
minum nostrum.

Postcommunio **P**

Beáti Confessóris tui atque
Pontificis Hubérti interventió-
ne suffúlti: súpplīces te, Dómi-
ne, deprecámur; ut, quod ore
contingimus, pura mente ca-
piámus. Per Dóminum.

Die 7 novembris

S. ENGELBERTI
ARCHIEPISCOPI COLON.
MARTYRIS

III classis

(In ecclesia Metropolitana:
II classis)

Antiphona ad Introitum

GAUDEAMUS omnes in
Dómino, diem festum
celebrántes sub honó-
re beáti Engelbérti Mátyris:
de cuius passióne gaudent An-
geli, et colláudant Fílium Dei.
Ps. 32, 1 Exsultáte, iusti, in
Dómino: rectos decet collau-
dátio. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, pro cuius Ecclesiá glo-
riósus Póntifex Engelbér-
tus gládiis impiórum occúbuit:

præsta, quæsumus; ut omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

Lectio Epistolæ beati Pauli
Apóstoli ad Hebræos

Hebr. 5, 1-6

Fratres: Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolare possit iis, qui ignorant et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

Graduale Eccli. 44, 16
Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. V. Ibid., 20 Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.

Allelúia, allelúia. V. Ioann. 10, 14 Ego sum pastor bonus: et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Allelúia.

+ Sequentia sancti Evangelii
secundum Ioannem

Ioann. 10, 11-16

In illo tempore: Dixit Iesus pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercennarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt ovæ propriæ, videt lupum venientem, et dimittit ovæ, et fugit: et lupus rapit, et dispergit ovæ: mercennarius autem fugit, quia mercennarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus: et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias ovæ habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 20, 4-5

Posuisti, Dómine, in cápite
eius corónam de lápide pre-
tíoso: vitam pétíit a te, et tri-
buisti ei. Allelúia.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta
sanctifica: et, interce-
dente beáto Engelbéto Már-
tyre tuo atque Pontífice, per
eádem nos placátus inténde.
Per Dóminum nostrum.

Antiphona ad Communionem

Ioann. 10, 14

Ego sum pastor bonus: et cog-
nósco oves meas, et cognó-
scunt me meæ.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dó-
mine, purget a crimine:
et, intercedente beáto Engel-
béto Mártyre tuo atque Pontí-
fice, cæléstis remédii fáciat
esse consórtes. Per Dóminum
nostrum.

Die 10 novembris

S. CUNIBERTI

EPISCOPI COLON., CONF.

III classis

Missa Státuit, ut in Appendice
huius Proprii pag. 34*, cum
Orationibus ut infra:

Oratio

Da, quæsumus, omnipotens
Deus: ut beáti Cunibérti
Confessóris tui atque Pontífi-
cis veneránda sollémnitas, et
devotiónem nobis áugeat et
salútem. Per Dóminum no-
strum Iesum Christum Fílium
tuum, qui tecum vivit et regnat.

Et fit commemoratio S. An-
dræ Avellini Conf.:

Oratio

Deus, qui in corde beáti An-
dræ Confessóris tui, per árdu-
um cotidie in virtútibus pro-
ficiéndi votum, admirábiles
ad te ascensiónes disposuisti:
concède nobis, ipsíus méritis
et intercessióne, ita eiúsdem
grátiae participes fieri; ut, per-
fectióra semper exsequéntes,
ad glóriæ tuæ fastigium felici-
ter perducámur. (Per Dómi-
num nostrum).

Deinde com. Ss. Tryphonis,
Respicii et Nymphæ Virg.,
Mm.:

Oratio

Fac nos, quæsumus, Dómine,
sanctórum Mártyrum tuórum
Tryphónis, Respicii et Nym-
phæ semper festa sectári:
quorum suffrágiis, protectió-
nis tuæ dona sentiámus. Per
Dóminum nostrum.

Secreta

Omnipotens sempitérne Deus, múnera tuæ maiestati oblata, per intercessionem sancti Cuniberti Confessoris tui atque Pontificis, ad perpétuam fac nobis proficere salutem. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Pro S. Andrea Avellino

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratione Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confidimus et futúris. (Per Dóminum nostrum).

Pro Ss. Tryphone, Respicio et Nympha

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiõnis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre Iustórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Tua nos, Dómine, sancta suméntes: intercedente beáto Cuniberto Confessore tuo atque Pontifice, ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus.

Pro S. Andrea Avellino

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cuius hæc commemoratione percépimus, eius muniámur et précibus. (Per Dóminum nostrum).

Pro Ss. Tryphone, Respicio et Nympha Postcommunio
Præsta nobis, quæsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Tryphóne, Respicio et Nympha; ut, quod ore contingimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus.

Die 13 novembris

In ecclesiis consecratis præter

Metropolitanam

IN DEDICATIONE
ECCLESIAE PROPRIÆ

I classis

Missa Terribilis, de Comuni.

Die 15 novembris

S. ALBERTI MAGNI EP.
CONF. ET ECCL. DOCT.

II classis

Omnia ut in Missali.

MISSA PROPRIA

SS. EPISCOPORUM COLONIENSIIUM

Antiphona ad Introitum

Eccli. 45, 30

STATUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis eius. V. Glória Patri.

Oratio propria.

Léctio Epistolæ beáti

Pauli Apóstoli ad Hebræos

Hebr. 13, 7-17

Fratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locútis sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxítum conversatiónis, imitámini fidem. Iesus Christus heri et hódie: ipse et in sæcula. Doctrinis váriis et peregrinis nolite abdúci. Optimum est enim grátia stabilire cor, non escis, quæ non profuérint ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per

pontificem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Iesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus igitur ad eum extra castra, impropérium eius portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquirimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiám laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini eius. Beneficéntiæ autem et communiónis nolite oblivisci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obcedíte præpositis vestris, et subiacéte eis. Ipsi enim pervigilant, quasi ratióne pro animábus vestris redditúri.

Graduale Eccli. 44, 16

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo. V. Ibid., 20 Non est invéntus similis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúia, allelúia. V. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3

Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis eius cupit nimis. V. Potens in terra erit semen eius: generátio rectórum benedicétur. V. Glória et divitiæ in domo eius: et iustitia eius manet in sǎculum sǎculi.

+ Sequéntia sancti Evangélíi
secúndum Matthæum

Matth. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Iesus discipulis suis parábolam hanc: Homo pégre profíciens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuique secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Similiter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscondit pecúniám dómíni sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum

eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidisti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus eius: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dómíni tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidisti mihi, ecce, ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus eius: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dómíni tui.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 88, 21-22

Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráccium meum confortábit eum.

Secreta propria.

Antiphona ad Communionem

Luc. 12, 42

Fidélis servus et prudens, quem constituit dóminus super familiam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio propria.

PRÆFATIONES PROPRIÆ

Pro Missis in cantu videas Præfationes particulares in Missali.

PRÆFATIO DE ADVENTU

Sequens præfatio dicitur:

- a) tamquam propria in Missis de Tempore a dominica I Adventus usque ad vigiliam Nativitatis Domini inclusive;
- b) tamquam de Tempore in ceteris Missis quæ celebrantur eodem tempore, et præfatione propria carent.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre, nos tibi semper et ubique grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. Quem pérdito hóminum géneri Salvatórem miséricors et fidélis promisísti: cuius véritas instrúeret íncios, sánctitas iustificáret ímpios, virtus adiuváret infirmos. Dum ergo prope est ut véniat quem missúrus es, et dies affúlget liberatiónis nostræ, in hac promissiónum tuárum fide piis gáudiis exsultámus. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, etc.

PRÆFATIO DE SS. SACRAMENTO

Sequens Præfatio dicitur: 1. Feria V in Cena Domini in Missa vespertina; 2. in festo Ss̃m̃i Corporis Christi; 3. in Missis votivis de Ss̃m̃o Eucharistiæ Sacramento, et de Iesu Christo sacerdote.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre, nos tibi semper et ubique grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. Qui, remótis carnálium victimárum ináni-bus umbris, Corpus et Sánguinem suum nobis in sacrificium commendávit: ut in omni loco offerátur nómini tuo, quæ tibi sola complácuit, oblátio munda. In hoc ígitur inscrutábilis sapiéntiæ, et imménsæ caritátis mystério, idípsum quod semel in Cruce perfécit, non cessat mirábiliter operári, ipse ófferens, ipse et oblátio. Et nos, unam secum hóstiam efféctos, ad sacrum invítat convívium, in quo ipse cibus noster súmitur, recólitur memória Passiónis eius, mens implétur grátia, et futúrx glóriæ nobis pignus datur. Et ídeo cum Angelis et Arch-ángelis, cum Thronis et Dominationibus cumque omni milítia cæléstis exércitus, hym-num glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus etc.

CALENDARIUM

MARTIUS

1 S. Suitberti Ep. et Conf., III classis	4*
15 Commemoratio S. Clementis Mariæ Hofbauer Conf.	4*
16 S. Heriberti Archiep. Colon. et Conf., III classis	5*
19 S. Joseph Sponsi B. M. V., Confessoris, Patroni secundarii Archidioecesis, Coloniensis I classis	5*
Feria VI post domin. in albis - In civitate Coloniensi: Commemoratio: Ss. Lancæ et Clavorum D.N.I.C.	5*

APRILIS

7 S. Hermannii Iosephi Conf., II classis	7*
19 Commemoratio S. Leonis IX Papæ et Conf.	9*
21 Commemoratio S. Conradi a Parzham Conf.	9*
23 S. Gerardi Ep. et Conf., III classis. Com. S. Georgii Mart.	10*
27 S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct., II classis	11*
30 Commemoratio S. Quirini Mart.	13*

IUNIUS

5 S. Bonifatii Ep. et Mart., II classis	13*
29 S. Petri Ap., Titularis Ecclesiæ Metropolitanæ I classis	13*

IULIUS

9 Commemoratio S. Agilolfi Ep. Colon. et Mart.	14*
12 In Ecclesia Metropolitana: Ss. Naboris et Felicis Mm., II classis. Com. S. Ioannis Gualberti Abbatis	14*
24 In Translatione Ss. Trium Regum, II classis. Com. S. Christinæ Virg. et Mart.	14*

AUGUSTUS

15 Assumptio B. Mariæ Virginis, Tituli Ecclesiæ Metropolitanæ, I classis	17*
Dominica III Augusti - Pro Sollemnitæ externa Assumptionis B.M.V.	17*

SEPTEMBER

13 S. Materni Protepiscopi Colon., Conf., III classis	17*
---	-----

17 S. Hildegardis Virg., III classis. Com. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.	18*
28 In Dedicatione Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis, I classis	20*

OCTOBER

3 Commemoratio Ss. Ewaldorum Mm.	26*
10 Ss. Gereonis et Soc. Mm. III classis. Com. S. Francisci Borgiæ Conf.	20*
12 S. Brunonis Archiep. Coloniensis, Conf., III classis	23*
21 Ss. Ursulæ et Soc. Vv. et Mm., III classis. (Coloniæ: Patronæ principal. Civitatis, I classis) Extra Coloniæ Com. S. Hilarionis Abbatis	23*
23 S. Severini Ep. Colon., Conf., III classis	28*
24 Commemoratio S. Evergisli Ep. Colon., Mart.	28*

NOVEMBER

3 Commemoratio S. Huberti Ep. et Conf.	30*
7 S. Engelberti Archiep. Colon., Mart., III classis (in Ecclesia Metropolitana: II classis)	30*
10 S. Cuniberti Ep. Colon., III classis. Com. S. Andreæ Avellini Conf. et Ss. Tryphonis, Respicii et Nymphæ Mm.	32*
13 In Ecclesiis consecratis Archidioecesis (excepta Metrop.): In Dedicatione ecclesiæ propriæ, I classis	33*
15 S. Alberti Magni Ep. Conf. et Eccl. Doct., II classis	33*

DECEMBER

5 S. Annonis Archiep. Colon. et Conf., III classis. Com. S. Sabbæ	1*
8 In Conceptione Immaculatæ B. Mariæ Virg., Patronæ principalis Archidioecesis Coloniensis, I classis	2*
23 In Eccl. Metropolitana: S. Gregorii Spoletani Presbyteri et Martyris, commemoratio	2*
Missa propria Ss. Episcoporum Coloniensium Confessorum	34*
Præfatio de Adventu	36*
Præfatio de Ssmo Sacramento	37*

APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.
Coloniæ, die 10 m. septembris a. 1963

JANSEN

vic. gis.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 10 octobris 1963

DR. C. HOFMANN

vic. gen.